

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 5. (Neovidensis 1808. Nro 2.)

Sermo Politicus.

Elysium Meum. - Die Martis. 19. Jan. 1808 (Neov. 2. Jan. 1808.)

M. Britannia

Legitur de præsenti *responsum* Anglicani Status Secretarii *Canning* ad *Declarationem* Russiæ in argumento intermediationis:

„Sua Regia M. Britanniae Majestas suam Cæsaream Russicam Majestatem medio infra-scripti certiorẽ reddit: se intermediationem talem, qua salus & felicitas subditorum suorum promoveretur, cum voluptate arripere; cum vero Sua Majestas Rex M. Britanniae jam sæpenumerò tentaverit, sævo bello per tractationes cum Gallicano regimine finem imponere; at nunquam ei hujus voti damna-ri licuit; eapropter S. Majestatem non prius in pacis Tractationem abimum adcommodare posse; quam in præmiò acceptatæ intermediationis Suae Russicæ Majestatis una princi-pia; secundum quæ pacis negotium tractan-dam fuerit, stabilita & defixa fuerint. Cum proinde Suae Majestati Regi M. Britanniae ni-hil in argumento necessariorum idmodi prin-cipiorum notum redditum sit, eandem apud se impetrare vix posse, quin existimet, id genus principia occasione confectæ pacis præ-



sus esse intermissa, quod nihilominus Cæsarea Russica Majestas quavis occasione se facturam pollicita est; videlicet occasione conficiendæ cum Gallicano regimine pacis intermediationem se suscepturam, principiaque pacis inter Suam M. Britannicæ Majestatem, & Gallicanum regimen determinaturam. Cum porro Sua Cæsarea Russica Majestas omni data opportunitate Regi M. Britannicæ Domino suo securitatem promisisset, non prius pacem cum Gallicano regimine initum iri, quam eadem & independentia principum in Germania stabilita fuerit, at vero secundum tenorem Tractatus Chronopolitani nec minimum argumentum hujus datæ fidei eluceret, quin potius cum dolore & imo mœrore ex eo intelligi possit: Suam Majestatem Imperatorem Russiæ Germanici Imperii principum ditiones pleno arbitrio Gallicani regiminis subjecisse, eumque S. M. Rex M. Britannicæ non alia ratione cum Gallicano regimine tractationes suscipere possit, quam ea sub conditione prævia: ut ditiones Sux Majestatis in eo statu & situ eidem restituantur, in quo situ & statu eadem a Gallis Anno 1803 occupatæ fuerunt; acceptando autem Sux Cæsareæ Russicæ Majestatis intermediationem metus omnino sit, ne duæ ditiones germanicæ provincia Gallica evadant. — Idecirco Sua M. Britannicæ Majestas necessitatem sibi imponi videt medio Infrascripti declarandi: se sub memorata solummodo conditione Intermediationem Sux Cæsareæ Russicæ Majestatis acceptare pos-

se, ad tractandum de pace cum Gallicano regimine, quæ una cum honore & salute subditorum suorum concordaret; usque eo autem Suam Majestatem Consiliis suorum ministrorum & ope fidelium subditorum suorum eam agendi rationem inire adnissuram esse, quam adjunctis necessariam existimat, ad potentiam tumidi & implacabilis hostis sui non modo augendam, sed eum talibus deinceps quoque amplectendis mediis, ut indulgentior remissiorque reddatur, utque hac ratione tandem alma suis subditis totique Europæ tantopere necessaria pax impetretur. — *Canning.*

Die 5. Dec. In Conclavi exterorum negotiorum Ministrorum erat consiliorum collatio. Ex eo tempore Jussa emanarunt ad delectum extraordinarium nautarum & militum. Novissimus e Svecia allatus Cursor nuncium attulit: die 22. Nov. Russicum Tabellarium Helsingborgam adpulisse, vigore cujus Regi Sveciæ Fœderi adversus nos accedendum foret; Naves nostræ pro portu Vlissingensi discurrentes retulerunt: plures gallicas naves occasionem invenisse portu illo excurrendi, quin ad præsens, quam directionem viamque iniverint, resciri potuerit.

Londino die 10. Dec. Navis Parlamentaris *Elisabetha* priore hebdomade cursore publico Dovera Caletum abiit; ubi aggeri portus vicina fuisset, gallicana navis ei occurrebat, quæ publicum nuncium recepit; parlamentaris igitur navis Doveram repetiit, quin gallicanum portum superiit. Continuo Americanæ, aliæ-

que neutrales naves portibus nostris invehuntur, ad quos circulatores nostri eas ducunt, ut examinari pervestigarique possint. Die 12. Nov. anglicanæ naves in portibus Russicis stationem habentes Interdicto adfectæ sunt, quæ agendi ratio per Russicum regimen tri-duo ante iis prænunciata est.

Sir Jon Moore Sicilia, cum maxima copia- rum quibus ibidem cum imperio præfuit, parte decessit.

Ministri decrevisse perhibentur nemini amplius aditum ad portum admittendum ex- tera nave venienti. Pro — Præfectus nava- lis *Waaren*, qui stationi novæ ad Halifax cum imperio præest, hesternò nave, cui *Swiftsure* nomen, Plymoutho decessit.

Pars Scoticarum & Anglicanarum linea- lium legionum confestim in Hyberniam trans- eundi jussa acceperè.

Procuratoribus Classis Anglicanæ quæstio ob- nota est; unde in Casu belli cum Ameri- cæ Republica victualia & comæatum procu- rare vellent? quæstio hæc paulum eos per- culit; novus Conventus argumentum isthoc diremturus est.

H o l l a n d i a.

Amstelodami die 17. Dec. Opinio erat: in- terclusam cum Anglia communicationem in- pretia colonialium mercium multo majorem mutationem inducituram, quam reapse indu- xit; Verum partim ampla penus ex fabis ara- bicis, Sacharo, herbanicotiana coacervata in- promptuariis, principum mercatorum nostror-

rum, utpote: *Hops, Willink, Braunscherg, Cromvelin* e. s. p. cellis acutumque præsto existens spem præbet: non facile penuriam exorituram, cum Germani, & Brabantini magnarii & minutim mercatores; qui merces coloniales isthinc percipere consueverunt, caute admodum committant; & momentaneæ solum necessitati provideant. Spes est, constatque: in Anglia coloniales merces enormi quantitate accumulari, ibidemque earum pretia centesima ultra leviori pretio ac apud nos venire, cum jam plurimi existiment: arcum nimis jam tensum, quoniam continuo adhuc tenditur, paulo post rumpendum esse, idcirco parum, & solummodo maxime necessarium pretio exaggerato emitur, cum brevi post mutatio expectetur, concursuque procurato subito admodum levia pretia obtenturi sumus.

G e r m a n i a.

Nuncium illud; quasi *M. Meira* Caletum adpullisset, nihil fuit præter commercialis speculatio veritateque destituitur; Quantopere Domini speculantes, quibus promptuaria colonialibus mercibus turgent; non expalluere? — Jam vero tripudiant, quod rumor hic non confirmetur; nihilominus nonnulli mercatores pro his obtinendis contractus iniverunt, atque — animo precantur: modico saltim tempore ut duret bellum!

Senator *Lucianus Bonaparte* exacto cum fratre suo Imperatore prope Mantuam colloquio Romam rursus repetit.

Die 21. Dec. Mane Sua Majestas Imp. & Rex *Napoleon* inter tenerrimas ab suis

Majestatibus Bavaricis, & excelsis qui aderunt hospitibus, comprecationes Mediolano Parisios discessit — Regia Bavarica familia aliquot adhuc dies isthic moras exiget.

Die 22. Dec. Mediolano in Germaniam generalis inviatio emanavit; vigore cujus cursores gallici litteras Imperatori Napoleoni adferentes, viam Parisios ingredi jubentur.

Ex regione Capitis Oeni (Ingadin) provinciae Grisonum de 15. Dec. sequentes lugubres percipiuntur nuntii:

Montis Iabis, quae die 7. Dec. ad *Tiranum* in ditione Veliturnensi contigit, videtur per me uenda consecraria, quæ florenti huic ditioni portendit, similis tragico Casui esse, qui olim *Goldavia* evenit; ad plenorem eorum, quæ refereatur, intelligentiam juvat prævia periclitantis regionis adumbratio:

Itineraturo Bormio Tiranum ingressus in Veliturnensem regionem se offert instar angustæ vallis series, quæ infra primum vicum *Grosetto* divaricari incipit; ad Mazzensem pontem, vix unius infra *Grosetto* quadrantis distantia aperitur sesqui altera hora lata, & una hora longa planities (clade austriacorum Anno 1635 memorabilis) quæ parte occidentali per exurgens ex utraque parte jugum a planitie Tiranensi separatur. Prominentia hæc originem habere videtur ex dejecto ab australi montium jugo monte; extenditur hæc a pago *Lucro Tiranum* usque, unius horæ spatio, suprema ejus pars notabiliter prominentior est, supra septa superficies, cui insidet pagus *Ser-*

nio C
Eus
Add
is in
per
vert

ital

7. a

al E

tum

jam

laba

cen

sus

Tir

ram

Tir

rud

cluc

usq

sup

ean

geo

tur

h. r

fug

inc

mo

con

Luc

Gr

mic

nio & *Cologna*, inter quos rivus *Val Chiusa* defluit, ipsa hæc protuberantia fluvium *Addam* boreali montium jugo oppressit; ubi is in profundo admodum angustoque hiatu per mediam horam *Tiranum* usque in giros vertitur.

Die 7. matutina secundum horologium italicum hora 14, germanicum juxta indicem 7. ampla montis pars labebatur supra vicum *al Barasini* boreali hæc montosa plaga in hiatum *Addam*, eamque rudere opplebat, quod jam elevationi illi plagæ eminebat, contumelabat cellaria pagi *Sernio*, molas *Addæ* adjacentes, rivumque *al Chiusa* obstruebat; cursus *Addæ* de integro impeditus est, ut prope *Tirano* penitus exaruerit; et usque 9. Dec. horam pomeridianam 3. nec gutta aquæ ponti *Tiranensi* subjecta conspiceretur; quod si fluvius rudus perumpendo impar est, tunc hæc occlusio adhuc 4 aut 6 dies perdurare potest, usque aqua ad eam altitudinem increverit, ut super elevatione defluere possit; donec vero eam altitudinem attigerit, jam, secundum geometricam institutam dimensionem vertex turris pagi *Lucro* aquis innatabit; & reapse 9. h. m. dimidia jam pagi pars aquis innatabat, fugamque arripuerunt vicinarum possessionum incolæ in specie *Tirano*. Quod si aggesta moles reapse impenetrabilis foret, aquaque continuo tumore coacta maneret, tum pagi *Lucro*, *Tovo*, *Mazzo*, *Vervio* & fortassis pars *Grossetto* cum omnibus in plano jacentibus domiciliis inundationem evitare requirant; imo

ei subseque aqua canalem sibi non eruerit; tum regio hæc populosa in paludem vertetur; at si tumescentes aquæ vi perruperint, viamque sibi facerint; aut penes aggestam molem excusserint; eorum de pago 3000 incolascensente Tirano, plañitiæ *Villa & Bianzone*, quæ amœnissima Veliterni regio est, actum & conclamatum est.

Ad Goldaviam centum concivium nostrorum uno sub minuto forentis naturæ vixima occubuerunt; hic moram iis largitur, anxia sollicitudine, ut eum temporis articulum prospiciant, qui exitium, aut mortem acerbiores ærumnas iis adferet.

In eadem hac Officinâ Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales præstant:

Hertzeg Piripionak tündér történeté; Wiedland után írta Magyar Földjeinek mulattatására Fellegváry Agoston. 8: 1804. 36. xr.

Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság haszára. 1804. in 8. 1 fl. 45. xr. Posta papirosra 3 fl. Fényes papirosra 6 fl. 40 kr.

Oraison funèbre de très haute, très puissante et très Excellente Personne Marie Thérèse Catholine Josephine, Impératrice d'Autriche: Reine de Hongrie et de Bohême; in 4to 20 xr. Historia Regni Hungariæ 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. Charta scriptoria 2 fl. 15 xr.